

PROGRAMMAI.

PROPTER negotia alia, nondum accedere possum ad lectio-
nes Ordinarias. Cras igitur hora II. in Auditor. Philoso-
phorum vices meas subibit, Vir Doctissimus Dn. JOHAN-
WITTE, Rigā Livonus, qui elegantissimam & doctiss. Orati-
onem recitat de natura AMORIS. Venite juvenes genero-
si, venite quoque vos Mopsi & animalia stupida, Venite & qui
divina & qui humana pectora habetis, & discite amare. Nemo
pœnam nobis imponat, qua Ovidio elegantissimo illi nequam im-
posta est ab Augusto. Nam si quid mihi creditis, nemo felix est,
nisi qui amat. Sed hoc dubium saepe animum torsu meum, unde
fiat, quod non omnes ament eadem? Quam Sempronius formo-
sissimam judicat, eam Titius deformem pronunciat. Et quis h. lu-
nonem suam judicat pulcherrimam. Jedem gefelt sein Kolbe-
wohl / drumb ist die Welt der Narren voll. Risum teneatis ami-
ci, Schnuppius Leno uester erit, & vobis conciliabit amore elo-
quentia. Matronæ, que quidem ante multa secula nata est, sed ta-
men ita mihi propitius sit amor, perfecta & consummataq; pub-
christudinis est, omnibusq; simulachris emendatior. Comarum
structuram habet, quallem Aspasia modestia; frons illi est, quallem
Livia prudentia; superciliosusq; qualia Sulpitia majestas; oculi, qua-
les Corneliae patientia; genæ, quales Lucretia verecundia; cer-
vix, quallem Porcia constantia; amictus, quallem Plotina fru-
galitas sua concinnavit. O si divinam illam & augustam speciem
oculis vestris inferret, quantum amorem, quantum veneratio-
nem sui apud nobiles animos vestros excitaret! quanta omnium
vota in se traheret! Qui elegantissima matrona huic suprum in-
ferre cogitant, dignissimi sunt, in quos ex lege Julia severissime
agatur. Sed nec terreat vos, favorem ejus non nisi nocturnâ atq;
diurnâ

diurnā diligentia impetrari. Vulgares nuptias nulla tempestas nulli casus, nulli labores illustrant. Eximiis verò amoribus fortuna intercedit, ut ipso labore pretiosi sint querentibus. Memini me quondam apud Belgas videre comædiam mutam, quæ solis gestibus peragebatur eum in finem, ut spectatores ipsi cogerentur divinare & judicare, quid voluerint Actores. Primo itaq; in theatrum veniebat Reuchlinus, qui Monachorum barbariem perstrinxit in Epistolis obscurorum virorum à se confictis. Is stramen secum portabat, quo in theatrum posito, protinus abibat. Sequebatur eum Erasmus Roterodamus, qui stramen sublatum inspiciebat, & in ordinem redactum modestè deponebat. Hunc sequebantur alii viri literati cum facibus ardentibus, qui stramen simul incendebat. Illos sequebatur Diabolus, qui ignem affusâ aqua quidem delebat, sed ita tamen ut relictis scintillis quibusdam, flamma paulò post resurgeret. Et de hoc & de aliis comædî illius actibus alii aliter judicent, ego tum temporis credidi, Actores indicare voluisse omnes res, omnes vita humana status, omnes artes & disciplinas incrementa & decrementa sua per gradus amittere, per gradus quoque reparare. Quod si situr fortasse nec loci nec calamitosi temporis hujus Genius patietur, me vobis in thalamum ducere nobilissimam matronam hanc, defatorum vestrorum votorumq; meorum benignitate non prorsus tamen desperabo. Forsan alius me sequetur, cui è meliori luto fixxit præcordia Titan, is vos non admodum reluctantes facere coget, quod ut faceretis, ego vobis persuadere haec tenus volui potius, quam valui. Novi ingenia vestra, ô Juvenes, novi quoq; indolem seculibujus. Primo queri solet, quid sit utile, deinde quid sit pulchrum. Omnes pracoci amore ambitis filias seu Baldi seu Galen, tanquam divites. Ab hac matrona autem utut nobili, creditis vos ideo dotis nil sperare posse præter famam & famem, Et hinc to-

ties dubitatis, an eam amare debeat is vel comtemnere. Sed & infelices anima! quæ vos dementia capit? Fama sat dives est, qua sat pulchra est. An non in Schola Aristotelis didicisti, pulchrū & bonum & utile idem esse? Princeps ille Philosophorum aliquando interrogatus, cur pulchra puella semper pre aliis amarentur? respondit interrogationem hanc esse cœci. In insula Cypro, vixit Cimon quidā viri nobilis & divitis filius stupidus & stultus. Hunc nec praeceptorum verbera & mina, nec amicorum monita, nec parentum preces abducere potuerunt à rusticitate ad literas vitaq; honestatem. Vixit ut plurimū inter agricolas & villicos, tum quia solitudinē amavit, tum quia ita tandem voluit pater. Evenit, ut cœlo & stuanie sub horam meridianam, lucum prædio vicinum ingressus, forte fortuna sub umbrā arboris prope fonticulum vide-ri somno obrutam puellam. Cimon, hoc spectaculo quasi fulmine percitus protinus, puella pulchritudinem considerare, omnia quæ conspectui patuerunt membra admirari, & deniq; credere cœpit, deorum quampliam è cœlo migrasse in terras. Conclausit tandem apud minimum suum, nihil unquam emendatus cœlum aut formasse aut aspexisse, & protinus puellam è somno excitatam ad ades modestè deduxit, non sine stupore & insigni animi voluptate. Quid fit? Rure mox relictō ad patrem & fratres reversus, aliam agere vitam instituit, & brutalī illa stupiditate excusa, tanto ardore incumbere capit palestræ, literis, Musica, ornataque Philosophia, ut ante exactum quadriennium nemo adolescentum Cypiorum aut par aut secundus illi fuerit virtute, scientia, prudentia & morum honestate. Tam subita magnaq; mutationis causa non alia fuit, quam pulchritudo & ex hac natus amor, qui ex rusticō affabilem, ex fatuo sapientem, ex bruto hominem fecit, mirabili p̄ēρ ϕωτει. Aut fatemini, ô Juvenes, vos vel iaceos vel Cimone hoc stupidiores esse; aut dicite, Patronamea D. Suada pulchri-

pulchritudinem, quam vobis commendō, favore atque amplexu vestro non indignam esse. P. Laurenbergius. V. C. amicus & quondam praeceptor meus, in elegantiss. tractatu suo de pulchritudine, querit: Unde siat, quod fumus vulgari proverbio dicatur a volare & petere illam, quæ sit totius domus pulcherrima? Opinionem hanc, non solum apud Germanicas sed & apud Hetrucas & Gracas mulieres in valuisse, probat ex Authoribus fide dignissimis. Si queritis, cur ob trelationis & invidiae fumus, etiam hanc nostram matronam quandog. ambiat, respondeo, eam omnium esse pulcherrimam. Valete Dab. Raptim 7. Octobr, M. DC. XXXIX.

II.

HOrā I. in solenni Auditorio ad Lanūm, Vir eximius morum elegantiā & profundæ eruditioñ mixturā Præstantissimus, Dn. Ioannes Witte, Rigā Livonus, amicus meus plurimū colendus, recitatib Orationem, qua sub persona M. Terentii Equitis Romani, Cæsari & conscriptis Patribus sc̄q; suos q; amicos ob excultam cū Sejano amicitiam strenuè accusatos, gnaviter excusabit. Historiam legite apud Tacitum lib. 6. Annalium. Videret injuriam facere humanitati vestræ, Cives reip. literariꝝ, si prolixis verbis vacivas aures vestras exorarem. Me enim non precante scietis, quid debeatis huic commilitoni vestro, qui amore virtutis ex ultima Septentrionis ora & in hanc Academiam & in alia Europæ regna tractus, dignus est, quem omnium gentium vota optent in civē. Certè lætū animū rebusque omnib. maturum, disciplinis & soler-tiā ita implevit, ut exemplū non tam capiat, quam aliis re-

linquat. *Ammianus Marcellinus* refert, Medicis olim ad commendandam artis suæ authoritatem suffecisse, si dixissent, se *Alexandriæ* esse eruditos. Dum dico hunc nostrum Eloquentiæ Candidatum *Lugduni Batavorum* sub institutione Principis *Oratorum Magni Heinsii* vixisse, multa quoque dico & magna. Romani singulis annis sex civium suorum filios ad *Hetruscos* sacrorum peritos mittebant, ut imbuti disciplinâ in patriâ redeentes, diis ritè sacra exhiberent. O utinâ morem hunc patria nostra imitaretur, ut miserrimus *Priscianus*, qui consumptis lachrymis nunc in agone jacet, nova spe fati melioris refocillaretur! Sed multi hodie inter syllogismos suos nati & educati malunt carpere, quæ capere aut non possunt aut non volunt. Multa audimns, quæ Stoico stomacho & plusquam Spartanâ patientiâ concoquimus. Non nos primi hoc malo infestamur. Omnis ætas ejusmodi distorta ingenia tuit. Sed nec unquam defuère, qui aut literarum defensionem susciperent, aut spernerent contemptum. Nuper quidem à quodam Eloquentiæ *Tyrone* iacta sunt prima melioris sortis semina, ubi de tanto Doctissimum Auditorum confluxu tacite mihi gratulatus sum. Gaudeo, quod nunc etiam inter emeritos Eloquentiæ milites inveniatur unus, qui fructus nobilissimi exercitii hujus sentiat. Is seculi sui ignorantiam animosè supergreditur, nec ab aliorum ignaviâ constantiam suam vincit parietur, sed stabit immotus, & de mortalium ineptiis, ringente omni Asinorum choro, feliciter triumphabit. Hoc annitempus, graviorum studiorum rupturam nobis indulget. Ast præclara illa anima, non potest ociosa esse. Proinde nihil agendo hoc aget; quod superciliosis Aristar-

Aristarchis quibusdam non ocium sed difficilimum negotium esset. Ut ad gloriæ hujus æmulationem, patriam juventutem provocare non cessabo, ita nec de successu prorsus despero. Solatio erit, si Fata eloquentiam in patriâ meâ prorsus dirutâ voluerint, me nihil omisisse diligentia ad ruinam illam eluctandam. Garriant, quantum volent, illi Eloquentiæ sicuti, qui nobilissima exercitia hæc obnubilant, ne ad nutriendam sapientiæ famam, ea cogantur addiscere, quæ cum magno studio rum fructu didicerunt alii. Eloquentia sibi ipsi præsidio est, & supra fortunam, supra latratus hominum illorum polita, stultitiam eorum immota contemplatur, & calamnias qualcunq; facile despicit. Multi sibi placent, antiquâ disputandi confuetudine pleni, non secus ac si templum Minervæ ruinam minaretur, si Scholastici non vivissent. Eos non quidem arceo à suâ laude. Sed si juvenus, genium Eloquentiæ justa diligentia mora conceperit, sentiet compendiosiorem viam ad famam patere per hujusmodi exercitia Oratoria, quorum insolentem consueudinem ignorantia nondum ferre potest. Batavi ita se excent. Vultis ut iterum nova hæc bona mentis exercitia vobis commendem? Batavi ita se excent. Nihil injustius est, quam damnare ea, quæ ipsi nec vidimus nec fecimus, si præsertim totæ aliæ gentes in ea consenserint. Diogenes cuidam dicenti: Multi te derident, ô Diogenes; & illos, respondebat, consanguinei asini subinde nudatis dentibus aspiciunt, irrisioñis speciem præbentes. Altero subiectente, sed illi non curant asinos: nihilo magis, ajebat, ego ipsos. Valete PP. Marpurgi Cattorum, xv. Julii. M. DC. XXXIX. Raptim.

Hora

III.

Hora I. in Auditorio Philosophorum Politissimus Juvenis
JOANN- MARTINUS PORSIUS, Patrius
 Mæno-Franckfurensis memoriter recitat Orationem, quæ sub
 personâ Veturia Coriolanum exorabit, atq; precibus frangere
 conabitur animum hostis, quem arma Romanorum concutere
 non poterant. Historiam legite apud Livium lib. 2. Hic Dn. Por-
 sius noster inter primos est, qui relictis Rhetorum Scholasticorum
 ineptiis, quibus hodie plerūq; Juvenes in scholis fatigantur, the-
 ma Orationis elegit ex materiis illis, in quib. Romanæ juventu-
 tis eloquentia occupata erat. Olim corona muralis data fuit, qui
 primus murum subiit, ing; oppidum arcemve hostium per vim
 ascendit. Romulus frondea coronauit Hostium Hostilium avum
 Tulli Hostili, quod Fidenam primus irrupisset. Manlius Capito-
 linus XVII. atatis suæ anno, non solum alia militaria donas ed
 & coronam muralē, ob singularem virtutem meritus est. Quot
 verò honores destinabimus Dn. Porsio, qui inter primos ad
 pulcherrimum hoc Oratorium opus accessit? Eos quos reportarunt
 Veturia & Volumina. Surgite reip. literariae Magnates, & his
 constitibus favete. Majores vestros & posteros cogitate. Aut in
 communi periculo vigilate, aut barbariem expectate. Videis
 fugientem Suadam, eam obtorto collo retrahite. Aut si mella hac
 vobis non placent, saltem apum aculeos non excitate injuria aut
 contemptu. Quoties Marpurg. in intueor, illam æternitatis ma-
 trem, illam Divinæ & profana sapientia officinam, magnus
 mihi animus est, futurum ut in hac temporum acerbitate, inge-
 niorumque penuria, Musa passim expulsa & veluti exilio mul-
 etea, hic pristinā majestatem suam & decus tueri iterum exordi-
 antur. Habet profecto magnos non modo Theologos sed & Jctos,
 quos natura se posuit, ut temporum calamitatem in suam lite-
 rarumq;

P R O G R A M M A.

41

*rarumq; gloriā converterent. Habet Philosophos, quorum no-
mina, inuidia ipsa, albo aternitatis inscribet. At favete saltem
miserrimo Prisciano, quotquot adestis amici, aut si mavultū fra-
tres, aut si quid charius his dici potest. Enī dextra mea fidesque.
Yestrum sit, quicquid possideo. Habebitis me in posterum hac in-
res, si non ingenii aut doctrina, saltem diligentiae exemplum. Va-
lete. Dab. Marpurg. 8. Jul. cīc cīc XXXVIII.*

IV.

MAGNO parente digna progenies, adolescens inge-
niosissimus, JO ANN. ESAIAS FABRICIUS,
Confiliarii Darmbstatini filius, horā i. in Auditorio Pui-
losophorum recitatib Orationem, quā sub personā Le-
gati Campanis ab hostibus obfessis missi, auxilia petet
a Romanis. Venite Eloquentiæ studiosi, venite quotquot
bonam amatis mentem, videbitis inter viros quandoq;
pueros inveniri, inter pueros V I R O S. Famæ & consci-
entiæ meæ satis factum putabo, si adolescentem hunc
Fatorum benignitas pertexere patietur telam, quam ex-
orsus est. Certè eo vivente & ita in studiis pergente, pa-
tria nostra nec Oratorem desiderabit nec Historicum.
Nostis, qui Schuppium nostis, me pro quantilli ingenii mei
liberalitate nō posse vendere verba, nec spenescio cuius
promotionis ad adulacionem conduci posse; Non quod
calamitatem non habeam, sed quod eam contemnere
possim. Si malè nunc est, precor ut in pejus fors omnia
vertat. Succedunt summis optima sāpē malis. Est rerum
omnium, quidam quasi circulus. Inter prima seculi hujus
de honestamenta semper numeravi, literatos sāpē abje-
cto & plusquam servili animo, emendicare dignates.

F

Aut

Aut virtuti vestrae diffiditis ô socii, aut eorum integritati in quorum manib. est eas dispensare. Si sartor aliquis caligas tibi resarcivit, mercedem poscit cum supercilio. Si literatos omnem laborum suorum mercedem emendicare oportet, pudet me didicisse literas. Proinde frustra putatis, me nō tam hunc Eloquentiae Alumnum laudare: quam nobili ejus familiae adulari, quam aliâs eâ, quâ par est, observantiâ reverenter colo. Si quid mihi creditis, multa, quæ spe votoq; cōcepisti, Adolescentem hunc celo, ne aut in ignaviam degeneret aut in superbiam. Nolui quicquam in Oratione corrigere, quia ipsa virtus sè augent venustatem infantilis & balbutientis lingua. Omnia excusabit partim materiæ difficultas, partim Oratoris pueritia. Si in ipso actu Orationis me adulatore esse dixeritis, aut surdi eritis, aut cœci. Surdi, si nō audiveritis, quid dicatur, cœci, si nō videritis, à quo dicatur. Quicūq; alieni estis ab invidiâ, mecum acclamate: Euge, bone Adolescentis, Ibonis avib. ad eloquentiæ & sapientiæ Romanæ fastigium. Ad masculum hoc iter feliciter absolvendum

Tepater Æneas & avunculus excitet Hector.

Valete P.P. Marpurgi, XV. Augusti

M. D. C. XXXVIII.

V.

Hodie, bono cum Deo, in Auditorio Philosophorum sub Personâ Senatoris Romani, pacem cuin Pyrrho Epirotarum Rege ineundam esse, suadebit Doctissimus Philosophiæ Candidatus *Dn. Antonius Ludovicus Beyenshirs/ westeranus.* Dum dico hominem hunc wettoranum esse, protinus animos vestros impleat, spes & cundi-

diingenii. Accius Syncerus Sannazarius, Poëta Maroni
Musâ proximus, uttumulo, cum in Venetiarum urbis
gloriam, laudem atq; honorem condidisset hexastichon
hoc :

*Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari.*

*Nunc mihi Tarpejas quantum vis jupiter arces
Objice, & illa tui mænia Martis, ait.*

*Sic Pelago Tibrim præfers. Vrbem aspice utramq;
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.*

S.P.Q. Venetus, Carminis elegantia oblectatus, in benigni gratique animi signum, pro singulis versibus, singulos centenos aureos liberaliter donavit. Non mihi jam aut animus aut otium est, simili encomio adulati Veteranis, nec ejusmodi præmium ab iisdem, vel petere vel sperare possum. Interim nec male iisdem cupio, utpote qui nullâ me affecerunt injuriâ, nisi quod aliquando è peregrinis Academiis reducem me excepérunt lassum, & strenue esurire coegerunt. Jacebam in stramine, & crebris pulicu[m] morsibus miserimè infestatus, dormire non poteram. Numerabam itaque Heroës, quos ineptissima urbecula hæc bono reipublicæ literariæ produxit, atq; eidem tacitè quasi in videbam. Profectò, sicut Romani homines proletarios alebant, qui in spem & ornamentum urbis æternæ tantum progenerandæ soboli operam dabat: Ita diceres urbeculam hanc Illustrissimo patriæ nostræ Patri non prodesse, nisi ut sit seminarium magnorum ingeniorum. Quotusquisque adeo hospes est in mundo, ut nesciat quanta Reipublicæ ornamenta, quanta posteritatis specula & exempla fuerint Vulteji?

Ast hi VVetterani fuerunt. Taceo jam de multis aliis
præclaris ingeniis, quorum nomina charta hæc non ca-
peret, at jam dudum aut cedro, & marmori, aut ipsi æter-
nitas albo inscripta sunt. Venite Philosophiæ cultores,
judicaturi, quid de hoc nostro Cædido VVet-
terano sperari possit. Valete Dab. Mar.
purg. 23. Junii, Anno 1639.

A P O L O G I A A U T H O R I S.

Vita verecunda est, Musa jocosam mihi.



XENI-